



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Erectione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

238. Quid si post confirmationem superveniat Prælato infirmitas, reddens illum inhabilem ad gubernandum, an teneatur resignare, vel superior es teneantur illum amovere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

*Questio 235. Quid hac in re dicendum de demoniacis ita à demone possessis, & arreptis, ut non sit iis liberum à moribus incongruis abstinere, & ita sepe privatis usu rationis, ut nesciant, quid agant?*

**R**espondeo: cum in ordine ad suscipiendos Ordines, quin etiam clericatum incuratur irregularitas perpetua non nisi à Papa dispensabilis, etiam quoad regulares, quòd quis vel semel à demone fuerit possessus *c. maricum d. 33. Suar. de censuris. l. 6. d. 51. c. 13. n. 3.* tales non ordinati antecederent erunt in Prælatos ineligibiles. *Pass. n. 12.* factus est de antecederent jam ordinatis, hi enim in susceptis Ordinibus ministrare, adeoque & in Prælatos eligi possunt, si sint ab infirmitate aut demone liberati; quod tamen non præsumitur nisi probetur *c. communiter. q. 2. Suar. loc. cit. sect. 1.* unde talis Electus in Prælatum, si fiat oppositio contra ejus liberationem, debet eam probare, & nisi per annum, vel ad arbitrium per discretionem Superioris comprobatus fuerit liberatus, confirmari non poterit. Si à nullo contradicente confirmetur ejus electio, hæc erit valida, si verè est liberatus *Pass. n. 13.*

*Questio 236. Quid dicendum de Epilepticis?*

**R**espondeo: hi non ordinati sunt perpetuò irregulares & ineligibiles, etiam si sanati sint, nec possunt promoveri ad ordines, aut eligi ad Prælaturas sine dispensatione Papæ. *Suar. & Pass. l. cit. ordinati tamen, si rarius cadant, puta in mense semel sine inconditis vocibus, eligi poterunt, multòque magis si morbo hoc liberati sint. c. in tuis literis. Suar. l. c. nu. 6. Bonac. d. 7. q. 2. p. 2. nu. 22. Sylv. V. corpore viriati n. 5. Pass. loc. cit. Ad probandam autem sanitatem ab hoc morbo sufficiunt 30. dies, ut habetur *c. in tuis literis. 7. q. 2.**

*Questio 237. An igitur electio horum infirmorum sit ipso jure nulla?*

**R**espondeo negativè, quia nullus est in jure textus irritans ipso jure, seu factò talium electionem; Est tamen de jure reprobanda, dum constat de tali defectu. *Pass. cit. cap. 25. num. 329.* quin etiam dum moraliter certò non constat ipsi infirmo, se ratione infirmitatis non posse exequi partes prælaturæ & muneris non solum validè, sed & licitè, utpotè non intrusus, sed à Deo vocatus admittit prælaturam & officium. *Pass. num. 331.*

*Questio 238. Quid si igitur post confirmationem superveniat Prælato infirmitas reddens illum inhabilem ad gubernandum, an tenetur renunciare, vel Superiores tenentur illum ab officio amovere?*

**R**espondeo negativè: siquidem Episcopis ægrotis, quin & Parochis dantur Coadjutores. *c. Scripsi. c. cum percussio. c. presentium. c. qualiter 7. q. 1. & c. ex parte. de Cler. agror. & c. 1. de parochis.* Idem dicendum de Prælati regul. præsertim Generalibus, eos nequaquam ob solam infirmitatem, etiam dum in eam ex culpa inciderunt (modo ea talis non sit, ob quam mereantur privati) privandos, esse officio, censet

*Pass. num. 332.*

\*\*\*

*Questio 239. An conferri possit beneficium ei, qui post susceptum Clericatum contraxit vitium corporis, ratione cujus est irregularis?*

**R**espondeo: posse talem promoveri ad beneficium, cujus exercitium vitium illud non impedit, non tamen ad beneficium, cujus exercitium impeditur tali vitio; irregularitas enim ex defectu corporis superveniens ordinato solum impedit exercitium illius Ordinis, ad quod reddit vitiatum inhabilem; ergo etiam illius solum beneficii consecutionem impedire debet, ad cujus exercitium inhabilis factus est. *Castrop. loc. cit. n. 2. citans Azor. p. 2. l. 6. c. 4. q. 14. Suar. de cens. d. 51. f. 2. num. 18. Garc. p. 7. c. 12. num. 19.* Nihilominus cum omnibus beneficiis annexa sit obligatio recitandi horas, si quis ob vitium corporis v. g. cacitatem redditus est inhabilis ad hanc recitationem, etsi Ordinibus initiatus sit, non poterit obtinere beneficium. *Castrop. ibidem. citans Less. lib. 2. cap. 34. dub. 25. num. 130. Garc. ubi ante num. 21.*

*Questio 240. An semel morbosus, præsumatur laborare eodem morbo, si probet se esse sanatum, adeoque qui semel repulsus est ratione morbi, non possit amplius eligi, nisi se probet sanatum, & consequenter repulsio facta ab una Ecclesia faciat fidem quoad aliam Ecclesiam?*

**R**espondeo affirmativè: de morbis diu durabilibus, & qui ex natura sua solent esse habituales. *Abb. in c. cum inter num. 7. ibidem. Gloss. & And. apud Pass.*

## PARAGRAPHVS II.

De Scientia & gradu Magisterii requisitis ad beneficium obtinendum.

*Questio 241. Num requiratur in promovendo ad beneficia literarum Scientia?*

**R**espondeo affirmativè: impossibile enim est, ut carens literis sacris aptus sit officiis, ut dicitur *c. illiteratos. dist. 36.* ubi Gelaf. Papa æquiparat illiteratos cæcis, uti Gregor. X. æquiparat illos infantibus in *c. ult. de temp. ord. in 6. Lott. l. 2. q. 50. n. 1. 5. & 6.* Porro alii sunt illiterati simpliciter, qui & propriè illiterati dicuntur, qui non ex toto rudes ad literas altiores provecti non sunt, ut Seneca de benef. l. 5. q. 13. Alii penitus illiterati, qui nullas aut modicas literas sciunt, noruntque tamen legere & scribere in vulgari, ut Rebuffi. de pacif. poss. num. 262. *Lott. loc. cit. n. 12.*

*Questio 242. In genere quanta ex jure natura & divino requiratur Scientia, ut quis ad Prælaturam, beneficium, vel officium Ecclesiasticum*

*eligatur.*